

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. II. Vtrum voluntas humana, ut recta sit, debeat conformari divinæ non  
solum in volito formalı, sed etiam in volito materiali?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](#)

## DISPUTATIO SEXTA

252

hiberi solutio. Prima est, Augustinum solum velle quod ille qui furatur, & dat eleemosynam ex farto sublata, gravius peccat per accidens, quatenus scilicet reddit le impotentem ad faciendam restitutionem, ex quo nova injuria fit vero domino; & hoc innunt verba illa; *sit totum quod absulit tribuat.* Verum hæc potentia non oritur ex ipsa eleemosyna, quatenus eleemosyna est, sed ex eo quod ille qui furatur, non habet unde reddat, quod utique eodem modo sequetur, si tem furatam, non in eleemosynam, sed in ebrietatem, scorrionem, aut aliam tem impenderet: unde eleemosyna non per se, sed per accidens tantum influit in illam potentiam restituendi, subindeque per accidens tanum auger peccatum.

Secundò hæc verba, *auger potius peccatum quam minuat*, explicari posunt de augmento malitia, non quantum ad gravitatem, sed quantum ad numerum peccatorum; bi enim Augustinus agit contra hæreticos, existimantes licitum esse facere mala ut eveniant bona, sive licitum esse furari ad dandam eleemosynam; & ut talem errorum defruat, docet peccatis etiam bona intentione factis, augeri numerum peccatorum; nam cum talia peccata, etiam si minora sint peccatis mala intentione factis, revera peccata sint, & bona intentione non toteliter excusat, ut § precedentis docuimus, illis multiplicatis, non minuitur, sed potius auger numerus peccatorum.

**28** Ad confirmationem dicendum cum Cajetano 2. qu. 148. art. 4. dupliciter aliquid posse habere rationem ultimi finis respectu peccatoris; primò ut quod, tanquam rem quæ ut ultimus finis appetitur; secundò ut quo, tanquam rationem propter quam in illa re ratio ultimi finis constituitur: v.g. feminina respectu luxuriosi habet rationem ultimi finis ut quod, quia est res quæ ut ultimus finis ab eo appetitur; ejus vero pulchritudo, quæ est ratio novens & inducens impudicum, ad hoc ut avertat se a Deo ut ultimus fine, & ad talen creaturam se convertat, habet rationem ultimi finis solum ut quo. Quod ergo habet rationem ultimi finis primo modo, non minuit, sed auger malitiam peccati: id vero quod tantum secundo modo est ultimus finis, potest malitiam peccati seu prævæ electionis minuere, non quidem ex ea parte quæ malum est, vel inducens ad malum, sed quatenus alias secundum se inducit rationem boni, & facit a etiam esse minus voluntarium: unde cum isto secundo modo eleemosyna habeat rationem ultimi finis, quando movet ad furandum, non auger, sed minuit malitiam furti.

**29** Objicies secundò: Si aliquis ex malo fine eligit aliquid medium bonum, v.g. ex intentione adulterii eligat ire ad Ecclesiam, vel dare eleemosynam, ex bonitate talis medie electi non minuitur, sed potius auger peccatum malæ intentionis; cum tunc ex majori inclinatione in primum illum finem feratur: Ergo pariter bonitas finis intenti non minuit, sed auger malitiam prævæ electionis. Consequens pater à paritate rationis: nam siquies finis est circumstantia electionis, ita est convertit electio est circumstantia intentionis: Ergo si una non minuit malitiam, licet sit circa objectum bonum, alia pariter eam non minuet, quamvis sit circa objectum honestum.

**30** Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio discutimus

A est, quia finis est circumstantia cur, movens voluntatem ad eligendum, eique præbens rationem formalem volendi, unde ex bonitate rei intentæ potest minuere malitiam prævæ electionis, minuendo voluntarium primum, ut antea exposuimus: medium autem seu electio est circumstantia quæ respectu intentionis, & se habet ut ejus effectus, & ut quid consequens ad plam; unde etsi medium sit bonum ex objecto, non minuitur malitia prævæ intentionis, sed ponit tota malitia intentionis, redundant in ipsum medium, tanquam in ejus effectum, omninoque ejus bonitatem destruit.

B

### ARTICULUS II.

*Vtrum voluntas humana, ut recta sit, debet conformari divinae, non solum in voluntate formalis, sed etiam in voluntate materiali?*

S. I.

*Quibusdam præmissa difficultas reficitur.*

**C** OTANDUM primò: Quod licet prima regula humanorum a Etiam, quæ est lex eterna, præcipue consistit in dictamine intellectus divini; quia tamen efficaciam & vim obligandi sumit à voluntate divina, D. Thomas hic art. 9, inquirit utrum bonitas voluntatis humana dependeat ex conformitate ad voluntatem divinam? Et responderet affirmative: quia (inquit) unumquodque rectum & bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram: prima autem humanæ voluntatis regula, cu[m] mensura est divina voluntas; cum illa sit ipsa rectitudine & sanctitas per essentiam, & summum bonum, ac ultimus finis: Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divina. Unde Augustinus in Psal. 32. expones illum versiculum, *Rectos docet collaudato;* ait: *Rectum cor habet, qui vult quod Deus vult.*

Notandum secundò ex eodem S. Doctor, art. 10. ejusdem questionis, quatuor modis intelligi posse, voluntatem nostram conformari divinæ in operando, secundum quartu[m] causarum genera. Primò in genere causarum finalium, in quantum voluntas nostra vult propter eundem finem, propter quem divina. Secundò in genere causarum formalium, quia nimirum eadem est, sicut analogice, utriusque forma: & hanc habet quando operatur ex charitate, quæ est analoga divinæ dilectionis, ex qua Deus semper operatur, participatio. Tertiò in genere causarum efficientium, quatenus Deus vult aut permittit nostram voluntatem velle quod vult, & eam ad volendum applicat: & hoc modo semper voluntas nostra conformatur divinæ, quia semper vult quod Deus efficaciter decernit, aut permittit eam velle, ut fusc ostendimus in tractatu de voluntate Dei, agentes de efficacia divinorum decretorum. Denique in genere causarum materialium, & hæc conformitas consumitur ex parte obiecti, quod se habet ut materia circa quam; unde repositoria nostra voluntate, quando vult idem obiectum quod divina. Quod ut magis declaratur,

Notandum est tertio, ex qu. 13. de veritate art. 7. in obiecto voluntatis duo esse consideranda: unum quod est quasi materiale, scilicet ipsa

11

## DE MORALITATE ACTVS INTERIORIS.

253

res voluntatis; aliud quod est quasi formale, scilicet ratio voluntatis, quae est finis: sicut in obiecto visus color est quasi materiale, lux vero quasi formale, quia per eam efficiuntur color visibilis actus: & sic ex parte objecti duplex conformitas inventri potest, una ex parte voluntatis, ut quando homo vult aliquid quod Deus vult; alia ex parte rationis voluntatis, sive ex parte finis, ut cum aliquis propter hoc vult aliquid propter quod Deus, &c. Hec appellatur conformitas in volito formalis; illa vero dicitur conformitas in volito materiali. Inquitimus ergo, an duplex haec conformitas cum voluntate divina ad rectitudinem voluntatis humanae requiritur? Pro resolutione

Norandum quartò, seu potius supponendum, quod quando divina voluntas circa aliquod materialem volitum in particulari non innotescit nobis, non tenemur ei conformari. Unde ante cognitionem divinam voluntatem Beati Angeli inter sepiungant & contrariantur, ut dicitur Danielis 10. Et Ecclesia, quia divina providentia & prædestinationis secreta ac decreta ignorat, orat pro omnibus fidelibus ut salutem consequantur eternam, quamvis plures ex illis sint reprobati, quibus Deus non vult conferre vitam eternam. Item David iudicatus est a Domino, eo quod cogitatuer ædificare ipsi templum (quod tamen non erat conforme divina voluntati, quæ disponuerat ut non ipse, sed filius ejus Salomon templum ei adficaret) quia David talem divinam voluntatis dispositionem ignorabat. Solùm ergo difficultas est, an quando divina voluntas circa aliquod materiale volitum in particulari nobis innotescit, teneamus ipsi conformari. Tripliatur autem potest nobis innotescere & manifestari, scilicet per revelationem, per præceptum, vel per operationem: nam eo ipso quod Deus alicuius tevelat, præcipit, vel operatur ad extra immediate per seipsum, aut mediante causis secundis, ab ipso volitum esse conatur; unde præceptum & operatio ad extra inter signa divina voluntatis numerantur.

Denique supponendum est, quod etiam divina voluntas sit nota quoconque ex his tribus modis, non tenemur ei conformari secundum appetitum sensitivum, vel voluntatem ut est natura, sed possimus ei dissentire, & velle oppositum: v.g. licet infirmus ex affectu evidenter cogolat voluntatem Dei esse ut infirmetur, non tenetur tamen secundum appetitum sensitivum complacere sibi in illa infirmitate, & eam appetere; quoniam appetitus sensitivus naturaliter refugit nocivum & destructivum suppositi, & hanc inclinatio bona est, & a Deo; & idem dicendum de voluntate ut natura, quæ etiam respicit donum totius suppositi. Unde Christus in horo olivarum tristabatur, & refagebat mortales, secundum appetitum sensitivum, & secundum voluntatem ut natura erat, & inclinatio totius suppositi, cum de nostra natura communione dicebat: Tristitia est anima mea usque ad mortem. Pater si possibile est, transeat a me calix iste. His præsolutione difficultatis propositis præmissis,

Dico prius: Homo tenetur voluntatem suam divinæ conformare in volito formalis, seu in fine. Conclusio est certa, & à nemine negatur, nisi forte ab illis qui admittunt opera in individuo indifferentiæ, enim non tendunt in Deum, sed bonum in divinum, tanquam in finem.

Probatur primò: Conformati voluntati divinæ in volito formalis, est ipsi conformari in ratione communi & generali, propter quam Deus

A operatur, & quæ est bonum commune totius universi, secundum quod tale bonum ordinatur ad ipsum Deum, & ad eum gloriam, ut ad finem: Sed voluntas humana non potest in hoc honestè & rationaliter discrepare à divina, ut patet: Ergo homo tenetur conformari voluntati divinæ in volito formalis, taliter negativè, hoc est non discordare positivè ab illa in tali volito.

Probatur secundò ratione quam insinuat D.

Thomasi h[oc] art. 10. in esp. ad 1. ubi ait: Deus quicquid vult, vult sub ratione boni, & ideo quiunque vult aliquid sub quacumque ratione boni (non apparentis, sed vlti, ut explicat Cajetanus) habet voluntatem conformem voluntati divina, quantum ad rationem voluntatis.

B Unde sic potest formari ratio: Ex hoc actus voluntatis humanæ conformatur voluntati divina in volito formalis, quod tendit in bonum divinum, sicut voluntas divina, id est, tanquam in finem: Sed homo in omni sua operatione tenetur, virtualiter saltem & implicitè, tendere in bonum divinum tanquam in finem: Ergo & conformati voluntati divina in volito formalis. Major patet, Minor probatur. Quilibet actus humanus & deliberatus debet esse honestus & bonus moraliter, cum nullus possit dari actus humanus indifferens in individuo, ut disputatione præcedenti ostendimus: Sed omne opus moraliter bonus, ex se, & ex natura sua tendit in Deum, seu est propter bonum divinum tanquam propter finem ultimum, cum proædata Deo ut primo principio, & sit quædam participatione beatitudinis divinae. Ergo homo in omni sua operatione tenetur, virtualiter saltem & implicitè, tendere in bonum divinum tanquam in finem. Dixi virtualiter saltem & implicitè, quia homo non tenetur actu formalis & expresso omnes suos actus in bonum divinum tanquam in finem ultimum referre, sed sufficit quod velit operari propter bonum honestum, quod ex propria natura tendit in bonitatem divinam, nisi impedimentum male circumstantie apponatur.

C Dico secundò: Homo non tenetur conformari voluntati divinæ in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto vel prohibitione manifestatur. Est contra Alensem, D. Bonaventuram, Nominales, & alios antiquos Theologos, quos referit & citat Ildephonse hic disp. 214. dubio 3.

Probatur primò ex D. Thoma, qui expressissime docet hanc conclusionem, multis in locis, præsentium hic art. 10. ubi ait: Voluntas humana tenetur conformari divina in volito formaliter, & tenerur enim velle bonum divinum & commune, sed non materialiter. Et qu. 23. de verit. art. 8. in corp. Divine (inquit) voluntati simpliciter in fine conformari tenemur; in volito autem nonnisi secundum quod illud volitum consideratur sub ordine ad finem: qui quidem ordo semper debet nobis merito displacere secundum aliquam alias considerationem, ut post secundum quod in contrarium finem est ordinabile. Quibus verbis rationem fundamentalē nostræ conclusionis insinuat, quæ potest sic breviter proponi. Eadem res volita, quæ est objectum materiale voluntatis, potest esse bona secundum rationem universalem, & mala secundum rationem particularē: Ergo potest simul esse recte volita a Deo ut auctore & provisore universalī, & nolita ab homine ut causa particulari. Consequenter patet: quis tam voluntas quæ vult rem ut habet rationem boni, quam quæ non vult illam ut habet rationem mali, bona est. Antecedens probatur: nam, ut inquit

Li 3

S. Thos.

## DISPUTATIO SEXTA.

234

S.Thomas, *Voluntas fertur in suum obiectum, secundum quod à ratione proponitur: contingit autem aliquid à ratione considerari diversimodè, ut quoddam sub una ratione est bonum, & secundum alias rationes non bonum.* Unde si intellectus Dei, qui est creator & gubernator universalis omnium, proponat ejus voluntati aliqua obiecta mala & inconvenientia, putatur peccatum, bellum, mortem, aut alias miseras & calamitates, ut concurvant ad manifestationem sua iustitiae, aut misericordiae, vel ab bona & pulchritudinem universi, illa erunt bona & convenientia respectu voluntatis divinae, mala autem & inconvenientia voluntatis humanae; quia intellectus humanus, cum sit particularis, ea non proponit sub ratione illa generali, boni, sed ut mala & nociva proprio supposito cuius voluntatis est inclinatio: Ergo, &c.

Hæc ratio illustrati potest exemplo occisionis latronis, quæ secundum rationem universalem, & relationem ad bonum commune reipublicæ, quæ ratione eam considerat Iudex, bona est; sicut que Iudex, dum vult occisionem latronis, quæ justa est, bonam voluntatem habet: secundum rationem verò particularem, quatenus scilicet est privatio vite latronis, familiæ & convenientiæ, quæ ratione eam considerant uxor & filii ipsius, mala est, sive voluntas uxoris & filiorum, nolentium maritum, aut patrem occidi, est etiam bona. Cum ergo pariter eadem res, v.g. mors hominis, relata ad communem ordinem universi, vel propter ostensionem divinae iustitiae, possit esse bona, mala verò respectu ad filium hujus hominis, qui ejus patrocinio orbatu manet, & ad quem non actinet communis ordo universi, aut divina iustitia; poterit simus justæ & rationabiliter esse volita à Deo, & nolita ad hominem. Unde Augustinus in Enchir. cap. 101. ait: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult.* Tanquam si bonus filius patrem vult vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Similia habet Anselmus in libro de voluntate Dei, ad medium & in libro de similitudinibus cap. 59 ubi hæc scribit: *Non semper debemus vel quod Deus vult, sed hoc debemus vel quod Deus vult nos vellere.* Voluisse enim Deus B. Martinum ab hac vita tollere sed si eus discipuli hoc voluerint, crutales exitus sunt; at noluerunt quod Deus noluit, sed voluerunt quod Deus voluit eos velle debere, & viam iustitiae tenuerunt.

Confirmatur: O naes res tu hi molestas & nocivas icio in particulari esse factas à Deo, subinde ab ipso voluntas, ut venenum, xeritatem, ardorem solis, combustionem ignis, muscas, pulices, culices, terpentes, &c. & tamen non teneor omnia ista velle; quia molesta & nociva sunt; se possum ac debeo ea fugere & vitare: Ergo non omni volito materiali teneor conformari, tamen sciam in particulari esse volitum à Deo, sed possum illud respuerere, & media ad illud vitandum inquirere, & adhibere.

41 Adverte tamen, quod quando aliquis adhibet hujusmodi media voluntati divina opposta, non debet id facere ex intentione repugnandi voluntati Dei, seu impediendi efficaciam & ordinationem ipsius providentiae, alias peccaret; sed solum ut repellat à se id quod sibi nocivum & molestum est.

42 Adverte etiam me dixisse in conclusione hominem non tenere conformari voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto vel prohibitione manifestatur: quia hoc est discriminanter voluntatem Dei præcipientem,

A vel prohibentem aliquid, & omnes alias, ut voluntatem beneplaciti, consilii, permissionis, quod hæc voluntas præcipiens, vel prohibens, habet annexam voluntatem obligandi hominem ad agendum vel non agendum aliquid, quod non habent alia voluntates. Unde D. Thomas 2.2. qu. 10. art. 4. ad 3. ait: *Eisti non tenetur homo vel quod Deus vult, tempore tamen tenetur vel quod Deus vult eum velle: & hoc homini præcipue intencio per præceptum divinum: & ideo tenetur hominem omnibus, divino præceptio obedire.*

S. II.

*Solvuntur objections.*

**O**BJICES primò contra secundam conclu-  
sionem: D. Thomas in 1. dist. 48. qu. unica  
art. 4. docet, quodlibet voluntas ut natura, & ap-  
petitus sensitus, possint refugere id quod Deus  
vult, deliberata tamen voluntate tenemur con-  
formari divinae voluntati in volito. Ubi loquitur  
aperte de volito materiali: nam respectu vo-  
luti formalis non haberet locum appetitus sensi-  
tus, aut voluntas ut natura, cum non possint at-  
tingere finem propter quem Deus operatur. Et  
qu. 23. de verit. art. 8. ad 3. pointum differentiam in-  
ter voluntatem Prælati & Dei, atque, *Quod vo-  
luntas ut Prælatinus non est regulata nostra voluntas, sicut di-  
vina voluntas, sed præceptum est.* Ergo juxta D. Thomam ita obligatio conformandi nos divinae voluntati, non est regulanda per præceptum, sed per simplicem voluntatem.

Propter hæc testimonia Contradictio super art. 10. & Suarez tract. 3. disp. 11. si est ultima, existimat S. Thomam esse in ea sententia, quod voluntas humanae liberata, tenetur conformari divinae in volito materiali. Verum cum S. Doctor tam clarè & perspicue locis supra adducit sententiam nostram expreflerit, de ejus mente non est dubitandum, sed ita loca debent juxta ea quæ in aliis exprefit docet exponi. Unde ad primum dicendum est, D. Thomam loquitur de voluntate deliberata, ut sequitur cognitionem apprehendentem rationes superiores & divinas; quam voluntatem contraponit appetitum sensitivo, & voluntati ut est natura, quæ non resipiunt superiores rationes, & motiva, quibus di-  
vina voluntas moverit, sed solum particulas & proprias, quæ sibi naturales sunt: si automaci-  
cipiendo voluntatem, tenemur conformari vo-  
luntati divinae in volito etiam materiali; quia tunc volitum illud non consideratur secundum se & absoluè sed prout stat sub ordine ad finem, ad quem Deus illud ordinat, subindeque ipsum volitum formale, id est motivum ipsius voluntatis divinae, involvit.

Ad secundum responderetur, D. Thomam lo-  
45 qui de voluntate divina pro volito formalis quia dicit voluntatem Prælatinus esse regulam no-  
stræ voluntatis, sicut est voluntas divina, sed præceptum ejus: constat autem voluntatem di-  
vinam esse regulam, non ratione voliti materialis, sed ratione voliti formalis: quia formalis ra-  
tio volendi in Deo est ipsa iustissima rerum om-  
nium dispositio, cui semper tenetur conformari: ratio autem formalis quæ moverit prela-  
tus, est particularis quædam ratio & dispositio,  
cui subditus non tenetur conformari, nisi adsit  
præceptum.

Objicies secundò: Nos patimus in oratione 46  
domi-

dominica, ut fiat voluntas Dei in terra sicut in celo: At in celo Beati conformantur voluntati divinae, non solum in volito formalis, sed etiam in materiali, ut concedit D. Thomas h̄c art. 10. ad 1. Ergo & in terra debent viatores voluntatem suam conformare divinæ, etiam in volito materiali: maxime cum voluntas Dei in omni suo volito sit justissima, & rectissima, & voluntum divinum, ut pote primum in tali genere, sit regula, & mentura ceterorum. Adde quod ad perfectam amicitiam requiritur concordia voluntatum, seu quod amici habeant idem velle & nolle. Denique 1. Regum 16. Dominus increpavit Samuele, ed quod lugere Saülem, quem ipse reprobarat, dicens: *Vtque tu luges Saul, cum ei gresseris eum ne regnet?* Sed non est credibile Prophetam tunc discordasse à voluntate Dei in volito formalis (esset enim opponere se divinæ providentiae, & peccatum mortale) sed solum in volito materiali, ex amore Saülis, quem ipse integrum unixerat: Ergo non solum in volito formalis, sed etiam in materiali, tenemur conformari voluntati divinæ.

Respondeo hæc verba orationis dominicæ, *Si voluntas tua sicut in celo & in terra, vel esse intelligenda de voluntate præceptiva; & per eam nos petere à Deo, ut in omnibus in terra divinis obtemperemus præceptis, sicut Beati in celo semper obedient Deo in omnibus, ut ex Augustino exponit S. Thomas in Catena, super hæc verba, & 2.2. qu. 83. art. 9. ad 1. & 1. part. quæst. 19. art. 11. Vel h̄is sit termino de voluntate Dei respondeo, quod ususque voliti, solum denotare nos debere conformari voluntati in quoconque volito, non secundum se & absolute, sed prout stat sub ordine ad finem ad quem Deus illud ordinat, vel que ut ordo divinæ voluntatis in omnibus implatur. Quod vero in patria omnes conformantur divino volito etiam materiali, est propter illius statu perfectionem, ubi cognita Divinitate, operantur solum secundum rationes æternas & superiores, & sub illo motivo quo Deus vult res illas: sed nobis operantibus iuxta particulares & temporales rationes, licet est velle oppositum secundum illas rationes, immo aliquando ad id tenemur, ut infra patet.*

Neque obstat quod voluntas Dei in omni suo volito sit justissima & rectissima: tum quia non tenemur velle omne quod justum & rectum est, nisi adiut præceptum: tum etiam quia cum voluntas Dei sit altioris & universalioris ordinis, & respiciat ea quæ vult sub universaliori motivo, quam voluntas creata, aliquando id quod justum & rectum est respectu Dei, ut universalis provisionis, non est justum nec rectum respectu causæ particulares, ut patet in permissione peccatorum & damnatione reproborum, quæ Deus recte & justè vult, & quæ ego velle non possum, quia voluntas mea operatur secundum rationes particulares, & ad me non pertinet gubernatio universi.

Non obstat etiam quod voluntas nostra debet conformari primo volito, quod est regula & mensura ceterorum: nam ut ait D. Thomas quæst. 14. de verit. art. 8. ad 3. ex his quæ proposuntur in argumento, sed contra: *Primum volitum à Deo, quod est mensura & regula omnium aliorum voluntariorum, est finis voluntatis eius, scilicet sua bonitas; omnia etiam alia non vult, nisi propter hanc finem;* & ideo dum voluntas nostra divina voluntati conformatur in fine,

**A** ad primum voluntum omnia volita nostra regulantur.

Ad id quod additur de lege perfectæ amicitiae requiri concordiam voluntatum, respondet similiter in resp. ad 2. *Quod amicitia consistit in concordia voluntatum magis quod finem, quam quod ipsa volita; plus enim est amicus fabricanti medicus, qui et vinum negaret propter desiderium sanitatis, quam si velles eius desiderio sati facere de vinopotatione, in periculum sanitatis.*

Deinde dico, non eodem modo loquendum esse de legibus amicitiae cum Deo, & cum hominibus: nam voluntas Dei est universalissima, & complectitur omnia; unde non solum vult alicui fieri, sed etiam vult aliquid illi rei contrariati & in oppositum conari: quare cum Deo implet leges amicitiae, non solum qui vult aliquid quod a Deo volitum & factum est, sed etiam qui rei illi contrariatur, & conatur ad oppositum (seclusò præcepto) quia id totum complectitur voluntas talis amici.

B Ad aliud de Samuele, lugente Saülem, re. 51. Respondeo, verba illa non dici per modum incrementationis, quasi peccaverit Samuel lugendo Saülem, sed per modum repulsi orationis e jesus: quia in hoc non erat exaudiendus Samuel pro Saule; cum Deus decrevisset eum abficere.

C Objicies tertio: Homo tenetur conformari 52. volito divino formalis, ut diximus in prima conclusione; Ergo & materiali. Probatur consequētia: quia voluntas Dei formale non reperiatur in abstracto, sed in concreto, & applicatum isti vel illi materiae. Ergo si homo tenetur conformari volito divino formalis, tenetur etiam materiali & particuliari volito conformari.

D Respondeo concessio Antecedente, distinguendo Consequens: debet conformari volito materiali, secundum se & absolute, ego: ut subest formalis, & stat sub ordine ad finem, concedo. Solutio est D. Thomæ loco supra adducto ex quæ 23. de verit. art. 8. ubi ait: *Divine voluntati compliciter in fine conformari tenemur: in volito autem non, nisi secundum quod illud volitum consideratur sub ordine ad finem, &c.* Unde ibidem in resp. ad 4. & 5. docet, quod hoc modo voluntas humana Christi, & B. Virginis, conformis fuit voluntati divinae volunti Christum moti: nam quandovis Christus, dicens Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste,* & B. Virgo dolens de Filii morte, nollent passionem illam in se consideratam, volebant tamen illam, ut erat volita à Deo ob redemptiōnem generis humani, & prout statuit sub ordine divinae voluntatis & providentiae.

E Ad complementum hujus quæstionis quæ 54. res, an licet homo non tenetur semper conformari voluntati divinae in volito materiali, id tamen semper licitum & laudabile sit?

Respondeo id quidem regulariter loquendo esse bonum & laudabile; interdum tamen non licere, sed esse malum & peccatum.

F Prima pars patet: Tum quia bonum & laudabile est quod nos viatores, quantum possibile fuerit, conformemur in operando Beatis: At Beati non solum in volito formalis, sed etiam in materiali conformantur voluntati divinae: Ergo talis conformitas, regulariter loquendo, est bona & laudabilis; immo veluti quedam imago & expressio, seu pragustatio & participatio futuræ beatitudinis. Tum etiam quia cum voluntas Dei sit prima regula totius sanctitatis, tanto magis homo perficitur & sanctificatur, quanto intimitus

tinius divina voluntati conjugitur. Addo, quod in tali conformitate consistit perfectissimum exercitium charitatis, ut ostendunt Gratianensis, Rodriguez, & alii Doctores mystici.

**S**ecunda vero pars suadetur: Licet quodlibet volitum materiale Dei, comparatione ad ipsum Deum ut generalem provisorem, & universi gubernatorem, semper sit melius, non tamen respectu nostri: quia nos aliquando tenemur attendere ad rationem aliquam particularem praecepti, vel documenti proximi, vel scandalis; & sic saepe erit conveniens, quod sub illis rationibus particularibus, non ipsum, sed oppositum prosequamur.

**C**onfirmatur: Si quis videat patrem suum morti, & mori in peccato mortali, & per consequens esse damnatum, ex ipso opere videt id esse voluntatem Dei, alias non sic eveniret: Sed non est bonum & laudabile quod filius velit mortem & damnationem aeternam patris, immo ex charitate & pietate tenet ei velle & procurare vitam & salutem aeternam: Ergo tunc non est bonum & laudabile convenire cum voluntate divina in volito materiali, secundum se & absolutè lumpo. Quod addo: quia si tale volitum consideretur ut subest rationi formalis sub qua volitum est à Deo, bonum est illi conformari; non enim volitum à Deo, sub illa ratione sub qua est ab ipso volitum, jultum & laneum est: unde Beati in celo qui operantur solum secundum rationes aeternas & superiores, & nihil volunt nisi sub eo motivo sub quo est volitum à Deo, complacent sibi de morte & damnatione patentum, immo & de permissione peccatorum, & rotarum reprobationis aliorum sibi revelatae à Deo, iuxta illud Psalmi 57. Latabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

## DISPVATATIO VII.

### De moralitate actus exterioris.

Ad questionem 20. Divi Thome.

**P**LURA disputationes solent de bonitate & malitia actus exterioris, quæ ex supra dictis facile intelligi possunt: unde pauca de his nobis hic superfluent dicenda.

### ARTICULUS UNICUS.

an actus exterior aliquid bonitatis vel malitia addat ad voluntatem efficacem eisdem exterioris actus.

**C**ERTUM est de fide, actum exteriorem, interiori supposito, veram bonitatem & malitiam moralem habere; cum illo supposito sit liber, & rationi conformis vel disformis. Unde in octo primis Decalogi preceptis, vel præcipiuntur, vel prohibentur actus exterioris: certum est autem quod à Deo non prohibentur nisi mala, nec præcipiuntur nisi bona. Item passim tam in veteri quam in novo Testamento reprehenduntur plures actus interiores, & alii laudantur.

A quod evidens argumentum est, aliquos esse malos, & alios bonos moraliter.

Hoc supposito, inquirimus an actus exterior addat bonitatem vel malitiam ad interiore, à quo imperatur, vel extrinsecè tantum ab eo bonus aut malus denominetur, sicut urina extrinsecè tantum dicitur sana à sanitate que est in animali?

**S**corus quodlib. 18. art. 3. existimat actum exteriore addere bonitatem vel malitiam aetiori, quantumcunq; efficaci; ita ut plus bonitatis moralis habeat voluntas dandi elemosynam cum actu dandi, quam extrinsecus, pedita; & plus malitiae voluntas occidendi hominem, occisione fecurā, quād impedita. Eandem sententiam tuentur ejus Discipuli, Liquet, Tarcetetus, Basiliolus, Rada, & alii quos fert & sequitur Franciscus Felix tractatus de bonit. & malit. cap. 9. difficult. 1. Quibus ex parte subliteribz Vasquez bīc disp. 37. cap. 5. ubi docet actus omnino exterius, ut furari, occidere, &c. esse formaliter malos primari & per se, & non solum per denominationem à malitia internorum; de bonitate vero aleserit eam non inventi formaliter, nisi in actu voluntatis.

Oppositum docuere Magister Sententiarum in 2. dist 42. & ibi Albertus Magnus, S. Bonaventura, Richardus, Durandus, & D. Thomas hic art. 4. cum omnibus ejus Discipulis quoque sunt plures ex Recentioribus. Unde

S. I.

Conclusio negativa statuitur.

**D**ico igitur: Actus exterior, qui est mera exercitio interioris actus voluntatis, non addit illi bonitatem vel malitiam simpliciter in ordine ad præmium vel pœnam essentiali, sed solum secundum quid, & in ordine ad præmium vel pœnam accidentalem; siue non simpliciter, sed solum secundum quid hominem meliorem aut peiorum efficit.

Prima pars hujus conclusionis in primis colligitur ex Scriptura, & SS. Patribus: Deus enim Gen. 2.2. dixit Abraham: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito proper me, benedicat tibi. Ubi apparet quod Dominus efficeret Abraham voluntatem non distinxit ab actu, in executione non posito ex impedimentoo exteriori, & adeo gratiam voluntatem ipsius habuit, ac si vere occidisset filium. Unde Chrysostomus homil. 47. in Genesim verba illa expendens, subdit: Quantum ad voluntatem carenter dexteram patribus, & per cutem pueri immiserat gladium, paterne dumque obtulerat sacrificium; & idcirco Dominus, quæ sacrificio reipsa consummato, laudat iustum.

Item Marci 12. & Lucæ 21. duo minuta, quæ vidua pauper visi in gazophylacium, anteponuntur à Salvatore magnis donis elemolynis: quia scilicet voluntas in ea fuit major, & non ex opere, sed ex voluntate deservit bonitas seu meritum, quando deest facultas. Unde Cyprianus tractat de operib. & eleemosyn. faciat: Vidua cum videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus eius examinans, & considerans non quantum, sed ex quanto dedit, dixit: vidua ista plus omnia misit in dona Dei. Hinc Augustinus conc. 1. in Psal. 105. infert nullum esse quantumcunque pauperem, qui non possit habere eleemosynæ meritorum: quia (inquit) si non habet sacus vel arca quod domi-